

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quàm grauiter peccant contemptores huiusmodi disciplinae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

prædicat Christum fide, tamen etiam ieunat die non
sunt, Luc. 2. Sic religiosi in ordinibus fiduciam salu-
tis ponunt in Christum, attamen corpus regulis &
obseruantibus coercent ac domant. Insuper hęc corpo-
ralis disciplina licet nō mereatur iustitiam & salutē,
nam regnum Dei non est cibus nec potus, sed pax &
gaudium in Spiritus sancto, Roma. 14. attamen habet
sua præmia in hac & post haec vitam. 1. Cor. 3. Vnus-
quisq; recipiet mercedem secundum suum laborem.
Habet ieunium, oratio, eleemosyna suam promis-
sionem Matthæi sexto: habet paupertas & derelictio
bonorum secularium suam promissionem. Matt. 19.
Vos qui reliquistis omnia, & securi esis me, &cæt.
Habent hęc omnia sua præmia, & cum his retinent
acceptam iustitiam. Rom. 8. Si secundum carnem vix-
eritis, moriemini.

Tertiò, grauissimè peccant, contemnentes huius-
modi disciplinam aut mortificationem carnis, viue-
tes quotidie in crapula, comedationibus, delitijs &
voluptatibus, sicut diues ille epulo apud Luc. 16. & iā
totus mundus in lasciuia & licentia viuit sine omni
timore Dei. Non capit mundus libertatem Spiritus,
sed arripit libertatem carnis. Fides enim liberat con-
scientiam, ne lex & peccatum nos damnare possint.
Est enim Christus nostra iustitia, sapientia, sanctifi-
cacio & redemptio, 1. Corint. 1. nam nemo legi satis-
facit, ideo Christus impleuit illam, Matthæi 5. At hāc
libertatem Spiritus inter mille vix unus capit, sed
hanc trahunt in occasione carnis, legem seruare cō-
temnunt, peccatum non curant, & sic nihil nisi libe-
ti carnis sunt. Et iam venit quod Christus dicit Mat.
24. cūm abundabit iniquitas, refrigescet charitas
multorum. Est enim hodie maximus abusus Euan-
gelij, contra quem maximè laborat canonica Iudæ
Epistola, ne gratia Dei transferatur in lasciuia. Scri-
ptura tradidit quid contigerit filiis Israël post exitū ex

AEGYPTO,

Iudei.

Aegypto, Exo. 16. quid Lucifer & socijs eius, Esa. 14,
& Ezechiel. 26. quid Sodomæ & Gomorræ, Gene. 19.
Insuper contra Doctores impios, qui viam Cain in-
gressi sunt, Gen. 4. qui peccare & lasciuire faciunt ho-
mines sicut Balaam, Num. 22. & 23. Qui rebellem fa-
ciunt populū, sicut Chore, Dathan & Abiron, Num.
16. Postremò assimilat tales qui descierunt à prima
accepta iustitia & fide, quod sint nubes sine pluia, ar-
bores autumnales, errantia sidera, animales homi-
nes, carnem suam voluptatibus maculantes, maie-
statem blasphemantes, seipsoz ab Ecclesia segregan-
tes. Hæc omnia Apostolus Iudas, & admonet ut co-
gitemus futurum iudicium. Mundus autem graues
pœnas dabit propter huiusmodi lasciuiam in futuro
iudicio: Hodiè enim iuuentus negligitur, & in lasci-
uam malis exemplis trahitur, quibus tenemur di-
sciplinam & institutionem: deinde fit vita barbarica,
& induitur contemptus religionis, id est, omnium fa-
ctorum. Porrò grandior ætas cum iuuentute, neque
intellectum, neq; reuerentiam, neq; vlla exercitiatæ.
ligionis habet, & tandem redibimus ad ba: barissimum
& impietatem: sed vñ illis qui occasio sunt &c.

CAPVT II.

ARGUMENTA.

1. *De patientia & cruce, quare toleranda.*
2. *Cur DEUS permittit super nos variand-
uersa.*
3. *Quomodo patientia est sacrificium, habem
promissionem regni.*

1.



Rimò patiētia est voluntaria passio ad-
uersitatū, quæ sustinentur propter De-
um aut iustitiam, & hanc ex natura ne-
mo habet, sed donum Dei est atq; fru-
ctus